

modi immediate secuturos, nec aliqua de cetero corrigere debemus, nisi ea duntaxat, quae in visitationibus nostris nobis deteguntur. Item quod capitulum nostrum et personas ecclesiae nostrae in iurisdictionibus eorum temporalibus et hereditariis libere exercendis in nullo impedire debemus, sed ipsos iurisdictione huiusmodi eorum hereditaria uti permittemus, nec exactiones aliquas sive precarias ab hominibus capituli et personarum ecclesiae nostrae in iurisdictione nostra temporali residentibus exigere et recipere debemus quovismodo. Per praemissa autem non intendimus nec volumus ordinationem et pronunciationem praedictas, in quibus fere omnia praedicta clarius continentur in aliquo immutare nec quovismodo venire contra eas, sed volumus quod salvae et illaesae nobis successoribusque nostris et capitulo nostro maneant in omnibus et singulis suis articulis sive punctis, de quo protestamur in his scriptis. In quorum omnium et singulorum praemissorum evidens testimonium sigillum nostrum autenticum praesentibus duximus appendendum. Datum et actum Misnae anno domini M^o.CCC^o.LXXIII^o. in die beati Lucae evangelistae.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen.

No. 639. 1374. 18. Oct.

Probst und Capitel geloben die mit dem vormaligen B. Johann festgestellten und von dem neuen Conrad angenommenen Bestimmungen die beiderseitigen Rechte betreffend auch ihrerseits genau zu beobachten.

Nos Heynricus de Slynitz praepositus, Nycolaus de Aldenburg decanus totumque capitulum ecclesiae Misnensis notum facimus universis praesentium notitiam habituris, quod ordinationem ac pronunciationem inter bonae memoriae dominum quondam Johannem episcopum Misnensem ex una et capitulum nostrum parte ab alia factam et habitam litteris quoque et iuramentis firmatam, necnon praedictarum ordinationis ac pronunciationis declarationem sive elucidationem per dominum nostrum dominum Conradum episcopum modernum factam et concessam eidem domino nostro episcopo et suis successoribus promisimus et praesentibus promittimus pro nobis nostrisque successoribus, in quantum nos et eos concernit ac nostri et eorum interest, bona fide inviolabiliter observare, protestantes in his scriptis, quod propter et per promissionem nostram praedictam praelibatas ordinationem seu pronunciationem non intendimus nec volumus in aliquo immutare nec contra eas venire quovismodo, sed volumus quod salvae et illaesae domino nostro episcopo memorato et suis successoribus, nobis quoque ac nostris successoribus maneant in omnibus et singulis suis articulis sive punctis. In cuius promissionis evidens testimonium sigillum nostri capituli autenticum praesentibus duximus appendendum. Datum et actum Misnae anno domini millesimo trecentesimo septuagesimo quarto in die beati Lucae evangelistae.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Siegel des Capitels an einem Pergamentstreifen.